



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

426. Ut justæ mensuræ sint.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

Ut justæ mensuræ sint. *Ex Capitulare
ad Pistas.*

Capitula Ka-
roli Calvi
tit. 31. c. 20.

CCCCXXVI. Ut Comites & omnes reipublicæ ministri seu ceteri fideles nostri provideant quatinus justus modius, & æquus sextarius, secundum sacram scripturam & Capitula prædecessorum nostrorum, in civitatibus & in vicis vel in villis ad vendendum & emendum fiat, & mensuram secundum antiquam consuetudinem de palatio nostro accipiant. Et si cui reputatum fuerit mensuram adulterasse, si liber homo est, aut sacramento secundum suam legem se expurget; aut si culpabilis invenitur, bannum nostrum persolvat, & à ministris reipublicæ tollatur quod cum injusta mensura vendere voluit. Si autem colono aut servo hoc reputatum fuerit, iudicio Dei se inde examinet; & si convictus fuerit, perdat rem, id est, hoc unde mensuram adulteratus est, insuper & nudo corio virgis cadatur. Et sive servus, sive liber, post legalem emendationem episcopale iudicium suscipiat, quia contra interdictum Dei fecit. Ait enim: *Æquus tibi sit modius, & sextarius æquus.* Et alibi: *Mensuram & mensuram odit Dominus.* Et item: *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* Quod peccatum inter illa capitalia peccata computatur de quibus Apostolus dicit quòd qui ea fecerit, cum hujusmodi nec cibum sumere Christiano licet. Similiter per civitates & vicos atque mercato ministri reipublicæ provideant ne illi qui panem & carnem per deneradas & vinum per sextarios vendunt,

Levit. 19.

Prov. 20.

Psal. 14.

1. Cor. 5.

mensuram adulterare possint ; sed quantos mensurabiles panes de justo modio in unaquaque civitate Episcopi vel Abbates à suis pistoribus recipiunt , tantos mensurabiles panes de eodem modio à pistoribus qui panem vendunt fieri faciant. Quòd si inventi fuerint mensuram adulterare vel minuere, & damnum sustineant, & virgis cædantur. Homines etiam quibus hoc commissum est ut provideant ne mensuræ minorentur. Si de perjurio quod juraverunt quòd hoc consentire non debuissent fuerint convicti , secundum legem puniantur, aut perdant manum , aut redimant , aut grave damnum sustineant , & postea ab Episcopo de perjurio publicam pœnitentiam accipiant.

De eadem re. *Ex Capitularium*
lib. III. cap. XC.

CCCCXXVII. Ut æquales mensuras & pondera æqualia omnes habeant sive in civitatibus sive in monasteriis ad dandum invicem , sive accipiendum , sicut in lege Domini præceptum habemus. [*Vide Burchard. lib. 19. c. 148.*]

Lib. 1. Capitular. c. 74.

De conspirationibus. *Ex Concilia*
Chalcedonensi.

CCCCXXVIII. Conjuracionis vel conspiracionis crimen etiam ab exteris legibus est omnino prohibitum. Multò magis hoc in Dei Ecclesia ne fiat admonere convenit. Si qui ergo Clerici vel monachi reperti fuerint conjurantes, aut conspirantes, aut insidias po-

Concil. Chalcedon. c. 18.